



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Noua dubitatio ex Apostatae libris. n. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

ea tamen ipsa quando ostenduntur quām sint mendacia veritatem illustrant & ornant; & si verum est responsum esse pridem huic libro, hoc ipsum vide re aeo responsum quo facilius acquiescam: satis enim vbiq; notum est quām ego acer temper fuerim Papistarum oppugnator; & horresco cogitans si forte obiectum fuerit eius superstitionis vel leue desiderium: quandoquidem tamen in hunc angorem incidi percuperem animo meo fieri (satis) Fiet tibi satis (inquit Pseudo-Cantuariensis) tu modò me cras conuenias in Palatio Archicopoli. Craftinus ut illuxit, Cantuariensis hominem commendat Couello Sacellano suo instituendum. Ut sedere, prolati Lutheri scriptis, & ijs locis perfectis qui in defensione recensebantur, cùm se *VV alfringhamius* commoueri ostenderet, mirarique totidem verbis quot Lutherus scriptis recitari omnia, auctens le Couellus, "Ut vides, inquit, *VV alfringhami*, hos libros & plures huiusmodi apud me habeo; Ego istos non tero; ab antiquo tempore apud me sunt; numero & ego inter Papistas affines aliquos, & amicos complures; ista me non commouent: si de eorum doctrinæ veritate persuasum mihi esset, nullius me dignitatis, nullius commodi cogitatio ab illa sequenda abduceret:) Atq; in huiuscemodi parergis extraicto tempore in horam prandij discessum est, facta potestate *VV alfringhamio* domum suam reuisendi donec vocaretur: postero tamen die, siue quoniam Rex rationem exposceret, siue orta esset aliunde perturbatio, Cantuariensis non nisi multis oneratum iniurijs dimitit, multisque culpatum quod ausus fuisse Regi libellum huiuscemodi offerre, adstrictum etiam iurecurando ut libros duos Thomae Bell Sacerdotis Apostatae diligenter percurreret, & doctum aliquem ruri consuleret, quo in ea quam à puer profesus esset fide confirmaretur.

V. Perspicuum erat Cantuariensem & cæteros diuerticula querere, cupe-
re que de præcipua quæstione vitare congresum, ruri tamen ne iusurandum
neglexisse videretur, Apostatae libros diligenter euoluit, notatis & in aduersaria
relatis locis quæ nouam dubitationem afferrent, augerent scrupulum: Ra-
bulam enim agebat ille potius furiosum quām cauæ modestum defensorem
atque in maledicta vbiique & in exaggerationes excurrens, legendi pariebat
nauleam, non acuebat cupiditatem. Interea etiam pseudo ministrorum do-
ctissimos confulebat, quos forte Visitationis Ecclesiastica munus conuocaue-
tat, sed pari cum prioribus cœntu: reperta tamen apud eorum quempiam
responsione ad *Personij* librum, latus le ad examen collationemque dictorum
accingebar: Ut enim ab eo *Personij* scripto orta est omnis illa anxietas, ita alio
nullo remedio sanari posse videbatur quām si aut vera aut falsa conuincerentur
quæ in eo recensebantur. Londinum igitur rursus ad Cantuariensem &
& ad Bibliothecas proficiscitur. Cantuariensis familiariter primū & ami-
cè acceptum rogar num legendo colloquendō suo ipsius tandem animo
satisfecisset; tum in corona plurium vñā sedentium doctorum hominum rei
serie ex plicata, cùm *VV alfringhamius* tam procul se ab tranquillitate potiu-
da absit diceret ut ex ipsis quos acceperat Apostatae libris nouis scrupulis agi-

Archiepi-
copus alte-
ri re com-
mittit.

Nova du-
bitatio ex
Apostatae
libris.

Ddd 3

tarc-

taretur, proiectisque in medium libris loca recitare inciperet quæ fucato fallaci-
terque prolata arbitraretur, omnium in se vnum coniectis oculis, hic mirari,
ille excandescere & querere quid tandem esset tanti vel in Thomæ Bell, vel in
cæteris quo tantopere commoueretur? Cantuariensis elatâ & concitatiore
voce obiectans obstinationem & audaciâ non tolerandam, minatur carceres;
Alij & inter hos Christophorus Perkinsius (de cuius à Societate defectione
in i^o huius historiæ narratū est) scorum abducto suadere conantur ut omisla
difficili disceptatione animum ad recebras per Angliam opiniones inflectat;
ea conformatio Regis & Cantuariensis conciliatâ gratiâ gradum etiam ad
dignitatem aliquam, vel ampliorem certe fortunam fieri posse, periculum esse
si obfimeret animum prælenti ne excidat & futura pe. Quæ ratio cùm animū
veritatis indagandæ non lucrī auidum nequaquam afficeret, & facta esset secun-
dò abeundi copia, ratus frustra redditum se ad eos qui alia omnia agebant
præter id de quo ipse cupiebat doceri, studium suum omne ad conferendos
inter se Catholicos hæreticosque scriptores conuertit; in quo cùm ad plures
mensim improbo labore defudasset, & breuiori deinde cursu à Catholicis Ca-
tholica dogmata didicisset, in vniuersalibus Ecclesiæ decretis conuictus ad Or-
todoxorum partem transiit, & opportunitate usus exulantium eo tempore
Sacerdotum, tanquam ex illis unus, regnum speque fluxas deterens Ro-
mamque ad Personum immigrans, post studia grauiora Societatem amplexus
est; editaque in lucem Conuersio[n]is sua historia (quam Disquisitionem inscrip-
sit de rebus ad Religionem pertinentibus) non minus aliorum quam sua salu-
ti consuluit; multos enim rei vti gesta est sincera sine fuso narratio ad sana cō-
filia induxit, cùm vñā subiecta oculis conspicerent & hæreticorum frudulenta
artificia ad ea quocunque demum colore contegenda que honestè defendere
non posunt, & Catholicorum apertam solidamque rationem sua demon-
strandi, & antiquam ab Apostolico tempore fidem ad ætatem nostram pro-
pagatam confirmandi. Quæ ratio cùm exitum non valde di[st]arem habuerit
in alterius Pleudoministri reductione ex eiusdem Personalijs libris perle-
ctis, adiungam istius ad Personum latinam, quemadmodum accepi, Episto-
lam quā rem vti accidit explicat.

VI.

Reuerende Pater.

Miraris forsitan quod ignotus ignotum literis hisce meis interpellem; vi-
terius etiam miraturus, si fatear me ab eo nunc viro opem petere, cuius olim
nomen, mirè apud nos diffusatum misere que tractatum, solebam horrere;
sed puer hæreticus cum essem, non tam malitiâ quam sapientiâ, sentiebam, lo-
quebar, faciebam vt puer & talis puer: vtinam nunc vir Catholicus iam, de-
licta iuuentutis plangam, & plangenda non committam. Mirum hoc videa-
tur, & si placet, miraculum, quod Minister Anglicanus, fatis opimè bene-
ficiatus, vxori & liberis astrictus, hæresim in qua natus, nunc palam repu-
diat, fortunis omnibus se exuat, & in Sacrolanctæ Ecclesiæ Catholicæ Ro-
manæ gremio foueri desideret: sed mirabilia qui facit Deus, hoc fecit, & ob
hoe

Al- rius
Pseudo-
Ministr
conuersio.